

Prima ex VI Feriis mensis martii.  
MYSTERIORUM VIÆ CRUCIS  
D. N. IESU CHRISTI

II. classis.

Ad Matutinum.

**Invit.** Christus regnavit a ligno: \*  
Veníte, adorémus.

*Hymnus*

Regis supérni Fílium,  
Nullóque tactum crímine,  
Figi cruénto stípite  
Iudex iníquus ánnuit.  
Repénite Christo mílites  
Edúcto acérbum tóllere,  
Et, quo necándus dúcitur,  
Deférre pondus ímperant.  
Virtus perénnis ómnium,  
Trunco subáctus cóncidit:  
Micántis ora Núminis  
En pulvis ater óbruit.  
Lígno gravátus ánxia  
Iesus Parénte ut óbviat,  
Transfígi utérque péctora  
Sensit dolóris cúspide.  
Exháustus inde víribus  
Ut Christus ad Calvárium  
Procédát, illi prótinus  
Dimon adésse cógitur.  
Sudóre sparsi et sángine  
Misérta Iesu, fémina  
Adstat geménti prómptius  
Tersúra vultum línteo.  
Sed Christus inter vérbera,  
Et probra, risus hóstium,  
Auctísque pœnis dénuo  
Languóre pressus córruit.

Iesu, qui amóre pércitus  
Mortem Crucémque sústines,  
Te cum Parénte ac Flámine  
Laudent redémpti in sácula.

Amen.

In I. Nocturno.

**Ant. 1** Pilátus, cum audísset, \* sermó-  
nes Iudæórum, sedit pro tribunáli: et  
trádidit eis Iesum, ut crucifigerétur.

*Psalmus 2.*

**Q**uare fremuérunt Gentes: \* pópuli  
meditáti sunt inánia?  
Astitérunt reges terræ, et prínci-  
pes convenérunt in unum \* advérsus  
Dóminum, et advérsus Christum eius.  
Dirumpámus víncula eórum: \* et  
proiciámus a nobis iugum ipsórum.  
Qui hábitat in cælis, irridébit eos: \*  
et Dóminus subsannábit eos.  
Tunc loquétur ad eos in ira sua, \* et  
in furóre suo conturbábit eos.  
Ego autem constitútus sum Rex ab  
eo super Sion montem sanctum eius, \*  
prædicans præcéptum eius.  
Dóminus dixit ad me: \* Fílius meus  
es tu, ego hódie génuí te.  
Póstula a me, et dabo tibi Gentes here-  
ditátem tuam, \* et possessiónem tuam  
términos terræ.  
Reges eos in virga férrea, \* et  
tamquam vas fíguli confrínges eos.  
Et nunc, reges, intellígite: \* erudími-  
ni, qui iudicátis terram.  
Servíte Dómino in timóre: \* et  
exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, \* et pereátis de via iusta.

Cum exárserit in brevi ira eius: \* beáti omnes qui confídunt in eo.

**Ant.** Pilátus, cum audísset, \* sermónes Iudæórum, sedit pro tribunáli: et trádidit eis Iesum, ut crucifigerétur.

**Ant. 2** Suscepérunt autem Iesum, \* et eduxérunt: et báifulus sibi Crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriae, locum.

### Psalmus 3.

**D**ómine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? \* multi insúrgunt advérsus me.

Multi dicunt ánimæ meæ: \* Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem, Dómine, suscepátor meus es, \* glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: \* et exaudivít me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: \* et exsurrexi, quia Dóminus suscepít me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: \* exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: \* dentes peccatórum contrívísti.

Dómini est salus: \* et super pópulum tuum benedíctio tua.

**Ant.** Suscepérunt autem Iesum, \* et eduxérunt: et báifulus sibi Crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriae, locum.

**Ant. 3** Aruit tamquam testa \* virtus mea, Dómine, et lingua mea adhaésit

fáucibus meis: et in púlverem mortis deduxísti me.

### Psalmus 21.

**D**eus, Deus meus, réspice in me: \* quare me dereliquísti? longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies: \* et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, \* laus Israél.

In te speravérunt patres nostri: \* speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: \* in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo: \* oppróbrium hóminum, et abiéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: \* locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: \* salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: \* spes mea ab ubéribus matris meæ. In te proiéctus sum ex útero:

De ventre matris meæ Deus meus es tu, \* ne discésseris a me:

Quóniam tribulátio próxima est: \* quóniam non est qui ádiuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: \* tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, \* sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: \* et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens \* in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis: \* et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: \* concílium malignántium obsédit me.

Foderunt manus meas et pedes meos: \* dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: \* divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxiliúm tuum a me: \* ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam: \* et de manu canis únicam meam:

Salva me ex ore leónis: \* et a córnicibus unicórnicium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: \* in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: \* univérsum semen Iacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël: \* quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam a me: \* et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna: \* vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur: et laudábunt Dóminum qui requírunnt eum: \* vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum \* univérsi fines terræ:

Et adorábunt in conspéctu eius \* univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum: \* et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ: \* in conspéctu eius cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: \* et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: \* et annuntiábunt cæli iustítiam eius pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

*Ant.* Aruit tamquam testa \* virtus mea, Dómine, et lingua mea adhæsit fáucibus meis: et in púlverem mortis deduxísti me.

Ÿ. Non est spécies ei neque decor.

℞. Et vídimus eum, et non erat aspéctus.

De Isaía Prophéta.

*Cap. 53, 1-12*

*Lectio i.*

**Q**uis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiendi. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera no-

stra: disciplina pacis nostræ super eum, et livore eius sanati sumus.

**R.** Christus humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis: \* Propter quod et Deus exaltávit illum et donávit illi nomen quos est super omne nomen.

**Ÿ.** Dedit se ut liberáret pópulum suum, et acquireret sibi nomen ætérnum. Propter quod.

### *Lectio ii.*

**O**mnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitatem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum; sicut ovis ad occisiónem dúcetur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de iudício sublátus est. Generatióem eius quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepúltura, et dívitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fécerit, neque dolus fuérit in ore eius.

**R.** Deponétes omne pondus, et circúinstans nos peccatum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen; \* Aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem, Iesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit Crucem, confusióne contémpta.

**Ÿ.** Recogítate enim eum, qui talem sustínuit a peccatóribus advérsus semetípsum contradictiόnem, ut ne fatigémini, ánimis vestris deficientes. Aspiciéntes.

### *Lectio iii.*

**E**t Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

**R.** Ecce vídimus eum non habéntem spéciem neque decórem: aspéctus eius in eo non est: \* Hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet.

**Ÿ.** Sed, quia pátiens Dóminus est, in hoc ipso pœniteámus, et indulgéntiam eius fusis lácrimis postulémus. Hic.

**Ÿ.** Glória Patri. Hic.

### **In II. Nocturno.**

**Ant. 4** Vide, Dómine, \* quóniam tríbuolor; conturbátus est venter meus, subvérsus est cor meum in memetípса, quóniam amaritúdine plena sum.

### *Psalmus 27.*

**A**d te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas a me: \* nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te: \* dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus: \* et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, \* mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum, \* et secundum nequitiam adinventioinum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: \* redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum eius \* destrues illos, et non edificabis eos.

Benedictus Dominus: \* quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

Dominus adiutor meus, et protector meus: \* in ipso speravit cor meum, et adiutus sum.

Et refloruit caro mea: \* et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suae: \* et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae: \* et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

**Ant.** Vide, Domine, \* quoniam tribuolor; conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum.

**Ant. 5** Angariaverunt praetereuntem \* quempiam, Simonem Cyrenaenum, venientem de villa, ut tolleret Crucem Iesu.

### Psalmus 31.

**B**eati quorum remissa sunt iniquitates: \* et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, \* nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, \* dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: \* conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: \* et iniustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: \* et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, \* in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, \* ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: \* exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruum te in via hac, qua gradieris: \* firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, \* quibus non est intellectus.

In camo et freno maxillas eorum constringe, \* qui non appropinquant ad te.

Multa flagella peccatoris, \* sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino et exultate, iusti, \* et gloriamini, omnes recti corde.

**Ant.** Angariaverunt praetereuntem \* quempiam, Simonem Cyrenaenum, venientem de villa, ut tolleret Crucem Iesu.

**Ant. 6** Inglorius erit \* inter viros aspectus eius, et forma eius inter filios hominum: iste asperget gentes multas.

Psalmus 40.

**B**eátus qui intelligit super egé-  
num, et páuperem: \* in die mala  
liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet  
eum, et beátum fáciat eum in terra: \* et  
non tradat eum in ánimam inimicórum  
eius.

Dóminus opem ferat illi super lectum  
dolóris eius: \* univérsum stratum eius  
versásti in infirmitáte eius.

Ego dixi: Dómine, miserére mei: \*  
sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixerunt mala mihi: \*  
Quando moriétur, et períbit nomen  
eius?

Et si ingrediebátur ut vidéret, va-  
na loquebátur: \* cor eius congregávit  
iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, \* et loquebátur in  
idípsum.

Advérsus me susurrábant omnes ini-  
míci mei: \* advérsus me cogitábant  
mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advér-  
sum me: \* Numquid qui dormit non  
adiíciet ut resúrgat?

Étenim homo pacis meæ, in quo spe-  
rávi: \* qui edébat panes meos, magnifi-  
cávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et  
resúscita me: \* et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti  
me: \* quóniam non gaudébit inimicus  
meus super me.

Me autem propter innocéntiam susce-  
písti: \* et confirmásti me in conspéctu  
tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, a  
sæculo et usque in sæculum: \* fiat, fiat.

**Ant.** Inglórius erit \* inter viros  
aspéctus eius, et forma eius inter fílios  
hóminum: iste aspérget gentes multas.

Ÿ. Vere languóres nostros ipse tulit.

℞. Et dolóres nostros ipse portávit.

Ex Tractátu sancti Bonaventúre  
Epíscopi de Ligno vitæ.

*De Ligno vitæ, num. 25-32.*

*Lectio iv.*

**P**ostquam Pilátus adiudicáverat im-  
piórum vota compléri, satiátis iam  
impiis de oppróbriis mansuetíssimi Re-  
gis, rursum Rex noster véstibus suis  
indúitur, dénuo exuéndus. Et báulans  
sibi Crucem, perdúctur ad Calváriæ lo-  
cum: ibíque totus exútus, vili dumtáxat  
circumtéctus renes sudário, et super li-  
gnum Crucis dire proiéctus, expánsus,  
proténsus et tractus, et in pellis modum  
hinc inde exténsus, clavórum perforátur  
acúleis, mánibus sacris et pédibus Cru-  
ci affíxus et duríssime sauciátus. Ve-  
stes quoque ipsíus dantur in prædam  
et dividúntur in partes, túnica inconsú-  
tili indivísa per sortem transeúnte ad  
unum. Ad confusiónis quoque, ignomí-  
niæ, dedécoris ac dolóris augméntum,  
ínnocens Agnus extra portam, in loco  
punitiúnis sceleratórum, in die solém-  
ni, hora meridiána, in médio latrónum,  
super Crucem quasi ad spectáculum ele-  
vátur, fléntibus amícis et insultántibus  
hóstibus.

℞. Iesus, ut sanctificáret per suum sán-  
guinem pópulum, extra portam passus  
est: \* Exeámus ígitur ad eum extra ca-  
stra, impropérium eius portántes.

Ÿ. Non enim habémus hic manén-

tem civitátem, sed futúram inquírimus. Exeámus ígitur.

*Lectio v.*

**E**t acetóso ac félleo póculo sibi propináto cum spóngia, Ioáñne qui præsens fuit attestánte, subíntulit: Consummátum est, tamquam si in gustu acéti et fellis totíus amaríssimy Passiónis consummáta plenitúdo consisteret. Nam decébat ut verificarétur in médico nostro prophéticum illud: Replévit me amaritúdine, inebriávit me absynthio: sed ut et illud implerétur in dulcíssima et amantíssima Matre: Pósuit me quasi desolátam, tota die mæroré conféctam. Dénique, cum Agnus ínno-cens, qui est verus sol iustítiae, trium horárum spátio pependísset in Cruce, et eódem témpore sol iste visíbilis Factóri suo compátiens, lucis suæ rádios occultásset; iam ómnibus consummátis, Fons ipse vitæ hora nona siccátur, dum Deus et homo Iesus cum clamóre válido et lácrimis, ad miseratiónis manifestándum afféctum et Divinitátis declarándam poténtiam, spíritum in manus Patris comméndans expírat.

℞. Si Christum audístis, et in ipso edócti estis, sicut est véritas in Iesu, \* Depónite vos secúndum prístinam conversatió-nem véeterm hóminem, qui corrúmpitur secúndum desidéria erróris.

℣. Sed induímini Dóminum Iesum Christum; et carnis curam ne fecéritis in desidériis. Depónite.

*Lectio vi.*

**T**unc formosus præ fíliis hóminum, caligántibus óculis et palléntibus

genis pro fíliis hóminum defórmis apáruit, factus holocáustum suavíssimi odóris in conspéctu patrænæ glóriæ, ut avéretet iram suam a nobis. Porro, ut de látere Christi dormiéntis in Cruce formarétur Ecclésia, et Scriptúra im-plerétur, quæ dicit: Vidébunt in quem transfixérunt; divína est ordinatióne indúltum ut unus mílitum láncea latus illud sacrum aperiéndo perfóderet. Véniens tandem nóbilis decúrio, Ioseph scílicet ab Arimathaéa, et accépta a Piláto licéntia, corpus Christi cum Nicodémo depónens de Cruce, condívit aromátibus, et invólvit síndone, et in monuménto novo, quod in horto propínquo in petra sibi excíderat, cum omni reveréntia sepelívit. Porro in honórem Domínicæ Passiónis Mysteriórum, quæ pio ritu Viæ Crucis, a Frátribus Minóribus longe latéque diffúso plurimisque ab Apostólica Sede indulgéntiis ditáto, præcípue recolúntur, Dummus Póntifex Pius décimus Offícium et Missam própriam Seráphico Ordini concessit.

℞. Christus, delens quod advérsus nos erat chirógraphum decreti, quod erat contrárium nobis, et ipsum tulit de médio, affígens illud Cruci; \* Et exspólians principátus et potestátes, tradúxit confidénter, palam triúmphans illos in semetípso.

℣. Redémit nos de maledíto legis, factus pro nobis maledíctum, quia scriptum est: Maledíctus omnis qui pendet in ligno. Et exspólians.

℣. Glória Patri. Et exspólians.

**In III. Nocturno.**

**Ant. 7** Conculcavérunt me \* inimíci mei tota die: advérsum me omnes

cogitatiónes eórum in malum.

### Psalmus 55.

**M**iserére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: \* tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die: \* quóniam multi bellántes advérsus me.

Ab altitúdine diéi timébo: \* ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi: \* non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur: \* advérsus me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt et abscondent: \* ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: \* in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi: \* posuísti lágrimas meas in conspéctu tuo,

Sicut et in promissióne tua: \* tunc converténtur inimíci mei retrórsum:

In quacúmque die invocávero te: \* ecce, cognóvi, quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem: \* in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, \* quæ reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu: \* ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

**Ant.** Conculcavérunt me \* inimíci mei tota die: advérsus me omnes

cogitatiónes eórum in malum.

**Ant. 8** Fíliæ Ierúsalem, \* nolíte flere super me; sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.

### Psalmus 56.

**M**iserére mei, Deus, miserére mei: \* quóniam in te confíditi ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, \* donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum: \* Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, et liberávit me: \* dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam, \* et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hómínium dentes eórum arma et sagíttæ: \* et lingua eórum gládus acútus.

Exaltáre super cælos, Deus, \* et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis: \* et incurvavérunt ánimam meam.

Foderunt ante fáciem meam fóveam: \* et incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: \* cantábo, et psalmum dicam.

Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cithara: \* exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine: \* et psalmum dicam tibi in géntibus:

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia tua, \* et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cælos, Deus: \* et super omnem terram glória tua.



**Ant.** Fíliæ Ierúsalem, \* nolíte flere super me; sed super vos ipsas flete, et super fílios vestros.

**Ant. 9** In manu Dómini \* convolútæ sunt iniquitátes, et impósitæ collo meo; infirmáta est virtus mea, quóniam inváluit inimícus.

### Psalmus 87.

**D**ómine, Deus salútis meæ: \* in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: \* inclína aurem tuam ad prece[m] meam:

Quia repléta est malis ánima mea: \* et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: \* factus sum sicut homo sine adiutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius: \* et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferióri: \* in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: \* et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: \* posuerunt me abominatió[n]em sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: \* óculi mei languerunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die: \* expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: \* aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, \* et veritátem tuam in perditión[e]?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, \* et iustítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: \* et mane orátio mea præveniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratió[n]em meam: \* avértis fácies tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a iuventúte mea: \* exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ: \* et terróres tui conturbaverunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: \* circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum: \* et notos meos a miséria.

**Ant.** In manu Dómini \* convolútæ sunt iniquitátes, et impósitæ collo meo; infirmáta est virtus mea, quóniam inváluit inimícus.

Ÿ. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.

℞. Attrítus est propter scélera nostra.

Léctio sancti Evangélii secúndum  
Ioánnem

*Cap. 19,12-20*

*Lectio vii.*

**I**n illo témpore: Quærébat Pilátus dimítere Iesum. Iudaéi autem clamábant, dicéntes: Si hunc dimíttis, non es amícus Caésaris. **Et réliqua.**

Homilía sancti Leónis Papæ

*Sermo 57, de Passiõe Dómini 6, cap. 4-5*

**S**editiós is ígitur clamóribus Iudæórum cedente Piláto, in loco cui nomen est Gólgotha, crucifígitur Christus. Per lignum erígitur lapsus in ligno, et

gustu fellis et acéti dilúitur esca peccáti. Mérito, priúsqvam traderétur, díxerat Dóminus: Cum exaltátus fúero, ómnia ad me traham; id est, totam causam húmáni géneris agam, et olim pérditam in íntegrum revocábo natúram: in me omnis infírmitas abolébitur, in me omnis plaga sanábitur. Exaltátum autem Iesum ad se traxísse ómnia, non solum nostræ substántiæ passióne, sed etiam totíus mundi commotióne monstrátum est.

**R.** Comméndat autem caritátem suam Deus in nobis; \* Quóniam, cum adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus Christus pro nobis mórtuus est.

**V.** Multo ígitur magis nunc iustificáti in Sáanguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. Quóniam.

### *Lectio viii.*

**P**endénte enim in patíbulo Creatóre, univérsa creatúra congémuit, et Crucis clavos ómnia simul eleménta sensérunt. Nihil ab illo supplício líberum fuit. Hoc in communióne sui et terram traxit et cælum; hoc petras rupit, monuménta apéruit, inférna reserávit, et densárum horróre tenebrárum rádios solis abscondit. Debébat enim hoc testimónium suo mundus Auctóri, ut in occásu Conditóris sui vellent univérsa finíri. Sed patiéntia Dei servat rebus atque temporíbus órđinem suum: nosque in illum pótius invítat afféctum, ut eórum salútem petámus, quorum crimen horrémus.

**R.** Consepúlti enim sumus cum Christo per bapťismum in mortem; \* Ut, quómodo Christus surréxit a mórtuis per

glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus.

**V.** Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis eius, simul et resurrectiósni érimus. Ut.

**V.** Glória Patri. Ut.

### *Lectio ix.*

**T**anto ígitur prétio, tantóque sacramento éruiti de potestáte tenebrarum, et ab antíquæ captivitátis vínculis absolúti, date óperam, dilectíssimi, ut integritátem méntium vestrárum nulla diábolus arte corrúmpat. Quidquid vobis contra Chrisitiánam fidem ingéritur, quidquid contra mandáta Dei suadétur, de illius deceptiósibus venit, qui vas innúmeris dolis ab ætérna vita conátur avertére, captándo quasdam occasiósnes infirmitátis húmánæ, per quas incaútas negligentésque ánimas in láqueos íterum suæ mortis indúcat. Omnes ergo per aquam et Spíritum Sanctum renáti, recólant cui renuntiavérunt, et qua professiósne iugum a se tyránnicæ dominiósni excussérunt.

*Te Deum.*

### **Ad Laudes.**

**Ant. 1** Venérunt in locum, \* qui dícitur Gólgotha; et dedérunt Iesu vinum bíbere cum felle mistum, exsuéntes illum vestiméntis eius..

*Psalmi de Dominica I<sup>o</sup> loco.*

**Ant. 2** Crucifixérunt Iesum; \* et cum meo crucifígunt duos latrónes, unum a dextris, et álium a sínistris eius.

**Ant. 3** Cum accepísset Iesus \* acétum, dixit: Consummátum est; et, inclináto cápite, trádidit spíritum.

**Ant. 4** Ioseph ab Arimathaéa \* pétiit corpus Iesu: quod, e Cruce depósitum, suo compléxu Mater excépit.

**Ant. 5** Accepérunt corpus Iesu, \* et posuérum illud in monuménto novo, in quo nondum quisquam pósitus erat.

**Capitulum** **Is. liii.6**

**O**mnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam devlinávit; et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum.

### *Hymnus*

Mundi Redémptor íntuens  
Illacrimántes féminas,  
Sibi suísque plángere  
Natis bénígnus ádmonet.  
At, qui cadéntes íllico  
Manu poténti súblevat,  
Ob vim dolórum, tértio  
Humi recúmbit lánguidus.  
Cruce immolándus Gólgotham  
Ut scandit, ipsi póculum  
Cum felle mistum pórrigunt,  
Eúmque nudant véstibus.  
Manus pedésque Núminis  
Clavi retúsi pérforant:  
Luxáta durióribus  
Cernúntur ossa fúnibus.  
Inter latrónes Innocens  
Iam pendet atra ex árbore;  
Suísque parcens hóstibus,  
Effúndit ore spíritum.  
Tunc nóbilis Decúrio  
Corpus Magístri flágitat;  
Crucis recúlsum stípíte,  
Quod Mater ulnis excípit.  
Hinc, per fidéles ásseclas  
Unguénto inúctus óptimo  
Mundísque vinctus línteis

Christus sepúlcro cónditur.  
Iesu, qui amóre pércitus  
Mortem Crucémque sústines,  
Te cum Parénte ac Flámíne  
Laudent redémpti in saécula.  
Amen.

☩. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi.

☩. Quia per sanctam Crucem tuam redemísti mundum.

**Ad Benedictus Ant.** Nullam causam mortis \* inveniéntes in Iesu, petiérunt a Piláto ut interfícere eum; cumque consummássent ómnia quæ de eo scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérum eum in monuménto.

### *Oratio*

Deus, qui nos ínclýta Passióne Fílii tui per viam Crucis ad ætéram glóriam perveníre docuísti: concéde propítius; ut, quem piis ad Calváriæ locum sociámus afféctibus, in suis etiam triúmphis pérpetim subsequámur. Qui tecum.

### **Ad Tertiam.**

**Capitulum** Omnes nos, *ut supra ad Laudes.*

☩. **br.** Non est spécies ei \* Neque decor. Non.

☩. Et vídimus eum, et non erat aspéctus. Neque. Glória Patri. Non.

☩. Ipse vulnerátus est propter iniquitates nostras.

☩. Attrítus est propter scélera nostra.

## Ad Sextam.

## Psalmus 115.

### Capitulum

Is. liii.7

**O**blátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum; sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum.

**R. br.** Vere languóres nostros \* Ipse tulit. Vere.

**Ÿ.** Et dolóres nostros ipse portávit. Ipse. Glória Patri. Vere.

**Ÿ.** Manus meæ stillavérunt myrrham.

**R.** Et dígiti mei pleni myrrha probatís-sima.

## Ad Nonam.

**Ant.** Laudans laudáre mónuit, laus illi semper ádfuit, laus, inquam, Salvatóris: invítat aves, béstias, et creatúras álias ad laudem Conditóris.

### Capitulum

Is. liii.12

**T**rádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est, et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

**R. br.** Ipse vulnerátus est \* Propter iniquitátes nostras. Ipse.

**Ÿ.** Attrítus est propter scélera nostra. Propter. Glória Patri. Ipse.

**Ÿ.** Disciplína pacis nostræ super eum.

**R.** Et livóres eius sanáti sumus.

## Ad Vesperas.

**Ant. 1** Christus passus est \* pro nobis, relínquens exéplum, ut sequámur vestígia eius.

**C**rédidi, propter quod locútus sum: \* ego autem humiliátus sum nimis. Ego dixi in excéssu meo: \* Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, \* pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: \* et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: \* pretiósá in conspéctu Dómini mors sanctórum eius:

O Dómine, quia ego servus tuus: \* ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: \* tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: \* in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

**Ant.** Christus passus est \* pro nobis, relínquens exéplum, ut sequámur vestígia eius.

**Ant. 2** Ipse peccátum non fecit, \* nec invéntus est dolus in ore eius.

## Psalmus 119.

**A**d Dóminum cum tribulárer clamávi: \* et exaudivit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, \* et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi \* ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, \* cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar: \* multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: \* cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

**Ant.** Ipse peccátum non fecit, \* nec invéntus est dolus in ore eius.

**Ant. 3** Cum maledicerétur, \* non maledicébat; cum paterétur, non cominabátur; tradébat autem iudicánti se iniúste.

### Psalmus 139.

**E**ripe me, Dómine, ab hómine malo: \* a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: \* tota die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis: \* venénium áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: \* et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: \* abscondérunt supérbi láqueum mihi:

Et funes extendérunt in láqueum: \* iuxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu: \* exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus salútis meæ: \* obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri: \* cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum: \* labor labiórú ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem deífices eos: \* in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: \* virum iniústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciét Dóminus iudícium inópis: \* et vindíctam páuperum.

Verúmtamen iusti confitebúntur nómini tuo: \* et habitábunt recti cum vultu tuo.

**Ant.** Cum maledicerétur, \* non maledicébat; cum paterétur, non cominabátur; tradébat autem iudicánti se iniúste.

**Ant. 4** Peccáta nostra \* ipse pértulit in corpore suo super lignum, ut, peccatis mórtui, iustítiae vivámus: cuius livóre sanáti sumus.

### Psalmus 140.

**D**ómine, clamávi ad te, exáudi me: \* inténde voci meæ, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: \* elevátio mánuum meárum sacrificium vespertínium.

Pone, Dómine, custódiam ori meo: \* et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiae, \* ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem: \* et non comunicábo cum eléctis eórum,

Corrípiet me iustus in misericórdia, et increpábit me: \* óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum: \* absórupti sunt iuncti petræ iúdice eórum.

Audient verba mea quóniam potuerunt: \* sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum: \* quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei: in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuerunt mihi: \* et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo eius peccatóres: \* singularíter sum ego donec tránseam.

*Ant.* Peccáta nostra \* ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut, peccatis mórtui, iustítiæ vivámus: cuius livóre sanáti sumus.

*Ant. 5* Erámus enim \* sicut oves errátes, sed convérsi sumus nunc ad pastórem et epíscopum animárum nostrárum.

### Psalmus 141.

**V**oce mea ad Dóminum clamávi: \* voce mea ad Dóminum deprecátus sum:

Effúndo in conspéctu eius oratióem meam, \* et tribulatióem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, \* et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, \* abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad dexteram, et vidébam: \* et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, \* et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, \* dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatióem meam: \* quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persecuéntibus me: \* quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: \* me expéctant iusti, donec retríbuas mihi.

*Ant.* Erámus enim \* sicut oves errátes, sed convérsi sumus nunc ad pastórem et epíscopum animárum nostrárum.

### Capitulum

### Is. liii.6

**O**mnes nos quasi oves errávimus, unusquisque in viam suam devlinávit; et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum.

### Hymnus

Christe, nos flammæ rápian amorís,  
Quæ reis tóllunt scelus atque pœnas,  
Dum tuos artus Crucis immeréntes  
Stípíte fígunt.

Ne sacro servos prétio redémptos  
Mortis adstríngant láquei subáctæ;  
Neu sinas callem Crucis ut fidélis  
Turma relínquat.

Débiles celso répleas vigóre,  
Ut viam vítæ gradiántur arctam;  
Utque, si culpa cecidére, prompti  
Súrgere possint.

Da, pie sævos Genitrícis almæ  
Lácrimis fuis récolant dolóres;  
Et crucem tollant, álacri sequétes  
Corde Magístrum.

Hórreant mundum speciémque fortes,  
In tuam passi fáciem tuéndo;  
Crimen abstérgant, tua proluétes  
Vúlnera fletu.

Felle amaréscat vétitum nocéntum  
Gáudium: nudos méritis apérti

Induant artus: vitiúmque pergant  
Túndere Clavi.  
Da Cruci affíxos ánimo profánis  
Emori rebus; positósque ab ipsa  
Arnore, ac tecum túmulo sepúltos,  
Vívere cælis.  
Christe, qui noxas hóminum tulísti,  
Ore te puro récinant Fidéles;  
Prédicent Patrem, simul et beátum  
Flamen adórent.  
Amen.

ŷ. Adorámus te, Christe, et benedí-  
mus tibi.

℞. Quia per sanctam Crucem tuam  
redemísti mundum.

*Ad Magnificat Ant.* Christus Rex  
noster: \* hic solus nostros est miserátus  
erróres; Patri obédiens, ductus est ad  
crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad  
occisiónem.

### *Oratio*

Deus, qui nos ínclýta Passióne Fílii tui  
per viam Crucis ad ætérrnam glóriam  
perveníre docuísti: concéde propítius;  
ut, quem piis ad Calváriæ locum sociá-  
mus afféctibus, in suis etiam triúmphis  
pérpetim subsequámur. Qui tecum.

*Completerium de Dominica.*